



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

II. Quid intersit inter infinitum categorematicum, & syncategorematicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

& extra illam esset aliquid videlicet illud individuum, quod Deus ex illa adimeret. Nec poterit dici illud individuum non posse adimi, quia posita infinita multitudine Angelorum Deus cognoscit hunc individuum Angelum, verbi gratia, Gabrielem distinctum realiter ab omnibus aliis: ergo cognoscit illos Angelos à Gabriele distinctos esse finitos, aut infinitos: non finitos, quia etiam si illis Gabriel adingeretur non constituerent multitudinem infinitam: ergo infinitos: ergo cognoscit multitudinem infinitam Angelorum distinctam ab aliquo Angelo in illa non incluso: ergo cognoscit extra illam multitudinem Angelorum esse aliquem Angelum: ergo non est de essentia infiniti ut extra illud nihil sit.

3 Doctissimi Magistri hanc infiniti definitionem sunt amplexati, qui negant infinitum adhuc possibile, seu rerum possibile, quos ego sic convenio. In sententia horum non datur infinitum adhuc possibile: ergo tenentur dicere conceptum explicatum, quem ipsi probant, non esse possibile, vel esse conceptum rei finitæ: non dicent esse conceptum rei finitæ, alias vanè diceretur infiniti definitio: ergo tenentur dicere esse conceptum rei chimericæ. Tunc sic inquiri an conceptus significatus per vulgarem definitionem ab Aristotele traditam, quam Aristoteles probant, cum utraque ad chimeram terminetur. Si dicant definitionem formalem ab Aristotele traditam terminari ad obiectum possibile, & in se non repugnans, iam admittunt conceptum illum, quem tota Schola infinitum appellat, & quem ipsi latè impugnant: ergo admittunt infinitum. Neque dicere possunt illud, cuius semper est ultra aliquid accipiendum, esse non repugnans, finitum tamen, quia omnia argumenta quibus utuntur ad hanc definitionem reiiciendam, ostendunt ut probent illius obiectum esse repugnans, & fore finitum, & infinitum, quod etiam opponunt contra obiectum definitionis, quam tradunt, quod similem repugnantiam habere dicunt: ergo omnia, quæ in nostram definitionem accumulunt, in suam aggerant: ergo eandem aleam apud ipsos utraque definitio subire debet. Conceptum obiectum illius definitionis cuius semper est ultra accipiendum, fore infinitum, si in se repugnantiam non involuat, & rem finitam, & infinitam, non dicat, certum est quia omne ens reale finitum partes habet finitas, quæ ita accipi possunt, ut ad ultimam perveniantur, & alia non restet accipienda, potest enim illarum una ultima assignari, ultra quam non sit alia. Debent ergo, qui docent infinitum adhuc possibile chimericum esse, nullam sibi propriam definitionem fingere, neque aliquam approbare, sed ostendere conceptus obiectivos significatos per definitiones ab aliis traditas esse conceptus repugnantes, & fictitios, vel esse conceptus rei finitæ & limitatæ: quocumque enim ex his probent, rectè convincent non dari infinitum: quo si ipsi illius definitionem constituent, gratia illis habenda non sunt, si infinitum efficaciter impugnaverint, facile enim cuique erit infinitum ita construere ut nulla opera ab ipso destrui possit.

4 Secundò arguo contra hos recentiores. Affirmant infinitum esse cuius nihil est extra: ergo saltem tota collectio rerum possibile erit infinita. Probat consequentiam: extra totam illam collectionem nihil est: ergo illi convenit infiniti definitio, quam ipsi probant: ergo est infinita, ergo non rectè componunt esse bonam definitionem infiniti cuius nihil est extra, & non dari infinitum adhuc rerum possibile. Respondent ultra collectionem finitam rerum, verbi gratia, Angelorum possibile non repugnare alium Angelum ex eo quod illa collectio ex se non sit componibilis cum alio Angelo, vel quia ipsa repugnat accretioni alius Angeli, sed quia non est Angelus alius, qui possit collectioni ex se augmenti capaci superaddi, infinito autem esse repugnare aliam entitatem, quæ posset superaddi, ita ut præcisè ex eo quod hac Angelorum collectio esset infinita, illi repugnaret alium Angelum superaddi, & aliquid illius generis esse extra illam, quod non habet tota collectio Angelorum possibile, quæ de facto existit, ac proinde infinita non est. Doctrinam huius solutionis falsam esse probabo Punct. 5. ubi ostendam, posse collectioni infinitæ aliquid superaddi, & non infinitæ collectioni repugnare augmentum eo ipso quod sit

infinita. Sed esto, non repugnet ratione totius collectionis Angelorum, quæ de facto existit, alium Angelum superaddi, sed quia in se repugnat alius Angelus superaddens, ex quocumque capite oriatur repugnatio de facto repugnat dari alium Angelum extra hanc collectionem: ergo non est aliquid ultra accipiendum extra hanc collectionem: ergo huic collectioni convenit definitio infiniti: ergo est infinita.

Tenenda est definitio tradita ab Aristotele, cuius semper est ultra accipere, id est, cuius partes accipienti semper alia & alia in infinitum restant accipiendæ. Quod intelligendum est ut intra ipsum infinitum, ea sit partium multitudo, ut quantumvis ex illis successivè sumantur semper alia restent accipiendæ quia possint successivè exhausti incipiendo ab una, quæ dicatur prima, & desinendo in alia quæ ultima dicatur. Ex hac definitione deduxit Aristoteles, text. 65. & 66. infinitum potius habere rationem partis, quam totius, quod intelligendum est respectu nostri, quia si ab illo per partes incipiamus accipere semper quidquid accepimus habemus habere rationem partis, quod cum aliis comparibus, quæ restant accipiendæ totum infinitum componunt. Quando verò partes totius finiti accipimus, tandem ad ultimam pervenimus, quæ accepta totum finitum comprehendimus, quod respectu totius infiniti præstare non possumus. Eadem ratione dixit Philosophus infinitum non esse totum actu, sed potentia, quod similiter respectu nostri intelligendum est, cum enim illius partes accipimus modo explicato nunquam totum apprehendimus, sed partes, quibus alia, & alia respectu nostri successivè accipientium superadduntur, quin aliquando superaddantur omnes illæ, quæ totum infinitum actuale constituent.

PUNCTUM II.

Quid intersit inter infinitum categorematicum & syncategorematicum.

Celebris est divisio infiniti in categorematicum, & syncategorematicum, cuius membra diuidentia non omnibus nota, licet nulli non familiaria sint. In primis in eo differunt hæc infinita, quod infinitum categorematicum componitur ex entitatibus actu existentibus, quæ infinitum actu existens secundum se totum constituunt: infinitum verò syncategorematicum dicitur entitates existentes permixtas entitatibus possibilebus, itaque dicit aliquas entitates existentes, alias verò possibilebus. Entitates existentes, quas includit infinitum syncategorematicum terminum possunt habere, non tamen terminum determinatum ultra quem augeri non possunt, quia eo ipso quod detur infinitum syncategorematicum ex entitatibus existentibus, & possibilebus constitutum, entitates existentes licet terminum habeant semper possunt illum excedere, & magis ac magis augeri. Exempli gratia, numerus terminum habet, eo enim ipso, quod sit numerus, debet habere terminum, & aliquam habere unitatem, quæ sit ultima, non tamen est aliquis terminus, quo ita circumscrubatur, ut non possit alia habere, quo magis illius producatur extensio, quantumvis enim millia miliaria millionum annumeres, nihil prohibet toti huic multitudini aliquem terminum superaddere, ita ut dicat multitudo unam unitatem supra millia miliaria millionum. Itaque entitates existentes infiniti syncategorematici semper possunt augeri, semper tamen in quocumque augmento aliquem terminum habebunt, quo multitudo finita circumscrubatur. Ratio est manifesta, quocumque additur illi infinito, si adhuc syncategorematicum remanet, adduntur unitates finitæ, sed unitates finitæ coniunctæ aliis finitis unitatibus non possunt multitudinem infinitam componere: ergo infinitum syncategorematicum semper dicit multitudinem finitam entitatum existentium: differentiam hanc inter infinitum categorematicum, & syncategorematicum assignant ex Aristotele 3. Physic. text. 33. & 34. Doctores omnes qui de hac re disputant.

Si naturam termini indeterminati quem habere diximus entitates existentes, ex quibus infinitum syncategorematicum componitur percalleas, optime noueris aliud esse rem posse in infinitum crescere, aliud rem posse esse infinitam

infinitam. Possit in infinitum crescere est nullam partem esse assignabilem, ultra quam non possit alia designari, quæ termino dicit præcedenti maiori claudatur. Rem posse esse infinitam non dicit relicto hoc termino alio maiori definiti, sed absolute carere omni termino, ita ut nullo res infinita cingatur. Ex his inferes non esse bonum arguendi modum: res potest in infinitum augeri: ergo potest esse infinita; ostendi enim numerum posse augeri in infinitum, ut notum est, quia quantumvis fingatur autus, alia entitas poterit accrescere, & tamen infinitus esse non potest. Similiter iuxta communem sententiam continuum in infinitum potest diuidi, ita ut nunquam ad aliquam diuisionem perueniamus, cui aliam superaddere non possumus, tamen nunquam poterunt dari infinitæ diuisiones continui. Loquor iuxta communem sententiam. Similiter ab hoc die poterunt in infinitum dies pertransire, non tamen possunt infiniti pertransire, quia ab hoc die vsque ad illum vltimum, qui pertransierit, quemcumque assignes tantum erunt dies finiti, cum omnes duobus diebus extremis hodierno videlicet, & illo vltimo assignato vtriusque claudantur.

3. Caterum infinitum constitutum ex entitatibus actu existentibus, vel præteritis, & aliis possibilibus, vel futuris, potest partes possibiles in duplici differentia continere. Quædam sunt creaturæ possibiles, quas Deus potest omnes distributiue, & collectiue in actum reducere, sic se habent infiniti Angeli possibiles, si non repugnat infinitum Angelorum actu existens. Aliæ sunt creaturæ possibiles, quæ licet illarum quælibet possibilis sit; imò & futura, non tamen poterunt adhuc de potentia Dei absoluta ad actum reduci omnia collectiue, ita ut verum sit dicere omnia illa possibilia actu existunt. Sic se habent dies futuri per æternitatem à parte post, qui omnes collectiue sumpti nunquam poterunt simul existere, neque collectiue extitisse. Ratio est manifesta: si omnes dies ex quibus æternitas constat à parte post aliquando extitissent, iam nihil superesset æternitatis: ergo æternitas fuisset præterita, & finita, sed implicat finiri æternitatem à parte post: ergo implicat extitisse omnes dies ex quibus æternitas à parte post componenda est. Dices: dies illi nunquam possunt existere, neque poterunt coexistisse: ergo repugnat illorum existentia: ergo non sunt futuri, neque possibiles sed tantum chimærici. Respondeo distinguendo illud antecedens: dies illi non possunt existere, neque extitisse collectiue, concedo: distributiue, nego. Hoc est datur aliquis dies ex his, qui æternitatem component, qui non possit existere, aut extitisse nego, quicumque enim dies quem tu assignes, ex his quæ æternitatem à parte post component aliquando existit, & aliquando extitit, ita ut sit verum dicere in aliqua mensura, hic dies iam præteriti, collectiue, concedo: ergo illi dies sunt chimærici, distinguo consequens: distributiue sumpti, hoc est datur aliquis illorum dies, qui sit chimæricus, nego consequentiam: collectiue, subdistinguo: omnes dies æternitatis collectiue sumpti secundum se sunt chimærici, negos; considerentur ut iam præteriti, concedo, quia chimæra est dicere totam æternitatem à parte post iam præterisse.

4. Infinitis: Quidquid est futurum in hac mensura in aliqua erit præsens, & in aliqua erit præteritum, sed æternitas à parte post est futura: ergo in aliqua mensura erit præterita. Distinguo antecedens: quidquid est futurum aliquando erit præsens, & aliquando erit præteritum secundum quamlibet partem sui seorsim sumptam, concedo: secundum se totum subdistinguo: quidquid est futurum in tempore aliquando erit præteritum, concedo: quidquid est futurum per æternitatem aliquando erit præteritum aut præsens secundum se totum, nego. Est enim de ratione æternitatis successiue, ut semper aliquid illius relict, neque id quod per æternitatem successiue futurum est in tempore esse potest, & ita neque in tempore potest esse præteritum. Itaque consequentia illa: hac entitas est modo futura: ergo aliquando verum erit dicere, est præsens; rectè inferitur de re futura in tempore non de re futura per æternitatem successiue futurum est non de re tempore, sed in æternitate futurum, & ita non erit verum dicere, aliquando, hoc est aliquo tempore est, sed semper erit verum dicere, est secundum aliquod sui, & erit per totam æternitatem secundum se totum.

5. De multitudine rerum, quæ distributiue sumptæ existere possunt & non collectiue exemplum præbet commu-

nis doctrina in collectione creaturarum possibilibus, in qua nulla includitur, quam Deus non possit producere, non tamen potest omnes collectiue producere, quia quicumque multitudine & quocumque infinito creaturarum productio rursus poterit Deus aliam producere creaturam. Idem cernitur in diuisionibus continui Aristotelici, quarum quælibet potest exhiberi à Deo, non tamen potest Deus omnes diuisiones continui collectiue exercere. In hoc sensu rectè dixit Durand. in 1. dist. 32. quæst. 2. singula possibilia esse quidem possibilia, non tamen omnia esse possibilia, hoc est possibile non esse collectionem rerum existentium, quarum quælibet existere potest.

Dubitant nonnulli an infinitum syncategorematicum essentialiter includat creaturas possibiles, quarum omnium collectio simul existere, vel successiue extitisse repugnet, vel an sufficienter constituatur per creaturas possibiles, ex quibus in infinitum existentes augeri possint, etiam si tota illa collectio possibilium de potentia Dei absoluta existere possit, sicuti de multitudine infinita Angelorum multi sentiunt. P. Albertinus tom. 2. de prædic. quantitatis disp. 4. quæst. 2. num. 8. asserit infinitum syncategorematicum essentialiter includere multitudinem possibilem, quæ collectiue existere non possint. Probat ex eo, quod infinitum categorematicum, & syncategorematicum non distinguuntur. Sufficientem ego distinctionem inuenio inter vtrumque infinitum, si categorematicum componatur ex rebus existentibus in eodem statu. Verbi gratia, ex rebus actu existentibus, & syncategorematicum sit permixtum ex rebus finitis actu existentibus, & ex aliis possibilibus quibus possit in infinitum augeri. Infinitum hoc modò constitutum infinitum dicitur cum addito, & finitum secundum id, quod dicit existens, quod infinitum syncategorematicum omnes appellamus: vtriusque natura, atque differentia satis est nota, de nomine contendendum non est, quod ex libera tantum hominum impositione dependet.

7. Grauior alia suboritur difficultas de differentia vtriusque infiniti. An videlicet differant non solum in diuerso statu rerum, quas in se continent, sed etiam in multitudine. An verò in multitudine rerum conueniant, & tantum differant ex eo, quod infinitum categorematicum dicat multitudinem rerum in eodem statu existentium, & syncategorematicum dicat finitas entitates existentes, & reliquas possibiles. P. Albert. supra num. 11. asserit infinitum differre ab infinito categorematico in numero partium, quia infinitum syncategorematicum non includit partes infinitas, neque intrinsecè includit infinitatem, sed tendit in illam. Refert pro hac sententia num. 2. Durand. & Gabr. oppositam sententiam defendit P. Falolus i. p. tom. 1. quæst. 7. art. 2. dub. 2. ubi clarè ostendit à num. 12. neque Durandum, neque Gabrielem defendere Alberti sententiam, sed potius Durandum oppositam quam docet Falolus tradidisse, eandemque Gabrielem indicasse, quam D. Thom. & Scot. aperte tradunt, verba Falolus ipse refert. Hanc existimo esse communem Doctorem sententiam: quod si aliqui dixerint infinitum syncategorematicum non esse simpliciter infinitum, sed finitum idè est, quia loquuntur præcisè de entitatibus actu existentibus, quas includit infinitum syncategorematicum, ut distinctis ab illis possibilibus. Sic Hurt. disp. 13. sect. 1. 8. asserit infinitum categorematicum secundum id, quod actu habet esse finitum, & hac ratione illud finitum appellat, additque secundum ea, quæ non habet, sed actu habere potest esse infinitum, quia potest illi fieri additio sine termino. Itaque ne in æquiuocum laboremus, aduerto nonnullos infinitum syncategorematicum appellare vnitates, seu partes existentes ex eo præcisè, quod possint addi per alias, & alias, quas ab infinito syncategorematico tantum in existentibus constituto distinguunt. Sic loquitur Hurt. nuper citatus. Alij infinitum syncategorematicum appellant multitudinem includentem partes existentes, quæ possunt magis, & magis augeri per productionem actualium partium possibilem & simul includentem partes possibiles, quarum productionibus possunt augeri iam productæ. Si infinitum syncategorematicum primo modo sumatur tantum pro partibus acceptis nullus est dubitandi locus, certum enim est tantum dicere entitates finitas, & in multitudine differre ab infinito categorematico includente entitates, seu partes finitas, si sumatur posteriori modo, hoc est non solum pro partibus acceptis iam existentibus, sed pro his & pro acceptibilibus,

quæ sunt tantum possibiles, in quo sensu questionem exagitant Falsolus, & Albertinus potest procedere disputatio.

8 Affirmo cum Falsolo, & aliis, quos ipse refert infinitum syncategorematicum desumptum modo explicato pro partibus existentibus, quæ possunt magis, & magis augeri, & pro possibilibus non differre multitudine ab infinito categorematico, sed includere entitates infinitas simpliciter. Conclusionem hanc his verbis tradit Scotus in 1. dist. 2. q. 2. §. ostensio proposita. *Quaecumque sunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum, nullum possunt habere finem: illa omnia si simul actu sunt, sunt infinita actu.* Probat subtilissimus Doctor conclusionem prædictam his verbis: *Quia omnia talia acceptibilia quando sunt simul existentia, aut sunt actu finita, aut actu infinita: ergo accipiendo alterum post alterum, tandem possunt omnia esse actu accepta: ergo si non possunt omnia esse actu accepta, si actu simul sunt, sunt actu infinita.* Hæc ratio robustissima est, & ad illam reducuntur plures alie quæ contra sententiam Albertini doctè expendit Falsol.

9 Aliter contra eandem sententiam argumentor: Infinitum categorematicum quantumvis augeatur secundum partes existentes ex possibilibus, quas dicit, semper potest magis augeri: ergo quantumvis sumantur partes ex possibilibus, semper restant alie & alie accipiendæ. Consequentia est legitima, & consequens tenentur non solum ex vi illationis admittere, sed supponere omnes, qui infinitum categorematicum admittunt, quia si non semper ex partibus possibilibus alie, & alie restarent accipiendæ, sed omnes essent acceptæ, iam postquàm illæ erant acceptæ partes existentes posset augeri, quia nulla restat possibilis per quam augeretur, & tunc inquirerentur partes existentes erant finitæ, vel infinitæ simpliciter: si infinitæ, iam concedis fuisse acceptam multitudinem infinitam ex possibilibus, & consequenter creaturas possibiles fuisse infinitas, in quo mecum consentis, & in aliud incidis absurdum, quia concedis multitudinem infinitam fuisse acceptam, & successivè transactam. Si dicas esse finitas: ergo das multitudinem finitam, quæ non possit augeri neque per simplicem unitatem: ergo illa multitudo, neque categorematicè, neque syncategorematicè est infinita, debes ergo concedere ex partibus possibilibus semper restare alias, & alias accipiendas: Ex quo legitime infero multitudinem illam esse infinitam. Probo hanc illationem. Illud est infinitum partium existentium, ex quo, si partes existentes sumantur, semper restant alie, & alie accipiendæ: ergo illud est infinitum partium possibilium, ex quo si partes possibiles sumantur semper restant alie, & alie accipiendæ: sed ex partibus possibilibus, quæ sunt in infinito syncategorematico quantumvis alie, & alie sumantur semper alie restant: ergo illius partes possibiles sunt infinitæ.

10 Confirmatur: si per impossibile reducerentur ad existentiam omnes illæ partes possibiles essent infinitæ in statu existentia: ergo in statu possibilitatis sunt infinitæ, eadem enim essent quæ tunc existerent, quæ modò sunt possibiles. Antecedens probos: si partes illæ reducerentur ad existentiam essent finitæ verum esset dicere, hæc partes finitæ existentes non possunt ultra augeri, quia supponimus existere omnes possibiles: ergo partes illæ non essent infinitæ adhuc syncategorematicè, quia de ratione infiniti syncategorematici est posse augeri partes existentes supra quamcumque multitudinem finitam in particulari assignatam. Dices hæc individua non posse simul produci. Esto ne producantur, quod ego non contendo, sed tantum assero fore infinita ex suppositione, quod producerentur, ex qua conditionali impossibili rectè infero nunc actu esse infinita. Ne tamen adhuc hoc leve tibi effugium pareat illud præcludo.

11 Deus cognoscit totam collectionem rerum possibilium secundum omnia illa individua, seu secundum omnes partes, quæ includuntur in infinito syncategorematico, ita ut nihil sit extra obiectum diuinæ cognitionis: de illo ergo obiecto adæquatè sumpto inquiri an includat partes infinitas, aut finitas? si infinitas habeo intentum, si finitas: ergo cognoscit Deus partes possibiles, quas includit infinitum syncategorematicum tot esse, & non plures, neque pauciores: ergo cognoscit multitudinem illam non posse exercere tantum numerum determinatum: ergo multitudo illa non constituit infinitum, adhuc syncategorematicum, quod essentialiter dicit posse exercere quamcumque multitudinem finitam assignatam quantumvis magnam. Dices Deum videre partes illas esse finitas, & habere terminum

indeterminatum, non tamen determinatum, sicuti nos dicimus de partibus existentibus. Contra: nulla multitudo neque rerum existentium, aut possibilium potest esse in se determinata, neque partibus indeterminatis constans, quidquid enim est siue existens, siue possibile in se ipso determinatum est, nihil enim vacuum datur, neque dari potest in rerum natura: ergo cum multitudo illa, quæ est possibilis cognoscatur à Deo ut in se est, debet cognosci in se ipsa, & in partibus, quas includit determinata, vel si ne villo termino, quo finiatur, vel cum termino determinato. Quod nos dicimus de creaturis existentibus, quæ non habent terminum determinatum, alium longè diversum sensum habet, non enim dicimus creaturas de facto existentes, non habere terminum de facto determinatum, sed posse carere termino determinato, quem habent, & alium acquirere per additionem aliis creaturæ quod non est non habere terminum determinatum, sed non exigere determinatè hunc potius, quam illum, quod est longè diversum, sicut est diversum dicere me equitare sine equo determinato, quod implicat, & dicere me non determinatè agere hoc equo ad equitandum, quod verum est. In creaturis possibilibus, quas Deus cognoscit, non ita se res habere potest. Quia eo ipso quod sunt finitæ debent habere aliquem terminum, ultra quem non poterit illis alius contingere, quia hic debebat accrescere per augmentum aliis creaturæ possibilis deinde aduenientis, quæ aduenire non potest, quia implicat omni collectioni possibilium creaturarum aliquam addi, quia extra collectionem omnium possibilium nulla restat creatura possibilis.

Ex his inferes semper dari infinitum possibilem ex quo modo res existentes possunt in infinitum crescere. & hanc esse legitimam consequentiam: numerus in infinitum potest magis, & magis augeri, licet semper cum termino: ergo unitates ex quibus numerus augeri potest sunt infinitæ si enim finitæ essent ultra illum finitum numerum non posset augeri numerus creaturarum existentium. Nota me non inferre: numerus potest magis, & magis augeri, seu potest in infinitum augeri: ergo potest esse infinitus, hæc est enim mala consequentia. Sed infero: ergo unitates, ex quibus potest augeri sunt infinitæ, semper enim unitates in numero acceptæ finitæ sunt, & acceptibiles, quæ restant sunt infinitæ. Eadem ratione hæc est legitima consequentia. Continuum potest magis, ac magis in infinitum dividi: ergo divisiones possibiles sunt infinitæ: licet divisiones de facto exercitæ, seu quasi iam acceptæ finitæ sint, infinitas enim semper se tenet ex parte acceptibilium. Itaque in infinito syncategorematico duplex potentialitas partium reperitur: una, quæ partes secundum se possibiles sunt, alia, quæ partes possibiles sunt non solum secundum se, sed secundum simultaneam actualitatem. Possibilitas illa est partium infinitarum, hæc verò partium finitarum, quæ ex illis infinitis possunt in infinitum augeri, licet non possint esse infinitæ. Dixi infinitum categorematicum, & syncategorematicum non differre multitudine, ut loquerer cum auctoribus, qui hanc questionem exagitant cum quibus tantum intendo significare infinitum syncategorematicum includere infinitas unitates, has verò longè plures esse in syncategorematico, quam in categorematico ostendo, Punct. 5. num. 4.

PUNCTUM III.

An creaturae possibiles sint finitæ, vel infinitæ.

1 Sapientissimi Magistri claritate ingenij, quæ mire fulgent, ægrè ferunt tenebram caliginem partium infinitarum, multumque propendunt in sententiam negantem creaturas possibiles esse infinitas. Ut rem attemperet, & ne videantur sententiam auctoritate nudam tutari, notant Aureol. in 1. dist. 44. quæst. unica art. 2. propos. 2. aperit concessisse terminum in extensione, idemque infinuasse Henr. quodl. 5. quæst. 3. In intentione terminum cognovisse dicunt Scot. in 3. dist. 13. quæst. 4. Bonaventur. in 1. dist. 17. art. 2. Aureolum in 1. distinct. 17. 3. part. quæst. 1. art. 3. Henr. quodl. 5. quæst. 22. Durand. in 1. distinct. 17. quæst. 9. Palud. in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 2. & in eandem partem inclinat Caietan. 3. part. ad quæst. 7. art. 12. §. sic hoc in loco lector. Longum esset testimonia adducere, quibus aperte constaret de horum Doctorum mente, unum tantum assero